

DE
FEBRIUM DIVISIONE SUC-
CINCTA EXPOSITIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
SENSU AMPLISSIMI MEDICORUM
ORDINIS

IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITTERA-
RUM DORPATENSI

UT GRADUM
DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR
LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HENRICUS LUDOVICUS BLUMENTHAL,
GURONUS.



„Frrthum verläßt uns nie, doch zieht ein höher Bedürfnis
„Zimmer den strebenden Geist leise zur Wahrheit hinan.“
Göthe.

MITAVIAE,
EX OFFICINA J. F. STEFFENHAGEN ET FILII.
MDCCCXXVI.

Imprimatur,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit,
septem exemplaria collegio, cui censura librorum
mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. viii. Mens. April.

MDCCLXXVI.

Dr. M. E. Styx,

h. t. Decanus.

VIRO

PRAECLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

C. J. M. LANGENBECK,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, AUGUSTISSIMI
REGIS BRITANN. ET HANNOVER. A CONSILIIS AULI-
CIS, PROFESSORI PUBLIC. ORDINAR. ANATOMIAE ET
CHIRURGIAE, DIRECTORI NOSOGOMII CHIRURGICI
UNIVERSITAT. GEORG. AUGUST., GUELPHORUM
ORDINIS EQUITI, VARIARUM SOCIETATUM
SODALI ETC. ETC.,

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

USQUE AD CINERES COLENDO

HOCCE PRIMUM LITTERARUM SPECIMEN

D 16589

PIA MENTE GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

A U C T O R.

P r a e f a m e n .

Lector benevole! si hasce pagellas percurrere non dedigneris, noli etiam indulgentiam recusare huic meo opusculo. Materies, quam adumbrandam mihi proposui, amplior est atque impeditior, quam, ut putem vacare eam difficultatibus, quas magnas, easque multas scribenti mihi se offerre video. Ad veritatem quam proxime accedere studui, quare haud despero, me rectam iniisse veri perscrutandi viam. Mysteriis autem naturae organicae, haud satis apertis explicatisque, non conatus sum intimam febris naturam definire, a me, qualis sit, nondum perspectam. Melius enim esse censui, quod nescimus,

libere confiteri, quam inanes proferre opinionones. Ceterum spero, meam febrium dividendarum rationem fore nec plane falsam nec vitiosam, neque tandem practica vacuum utilitate, et sic ut benevolo hoc opusculum accipias animo, velim. —
Vale!

I n t r o i t u s .

Quem scientiae nostrae cultorem notionum confusio, quam pluribus in artis medicae disciplinis invenimus, lateat, quem fugiat? Medici arbitria principum artis reddunt, nec amplius perpendunt, quae iis insit virtus? quum lex antiquitatis et consuetudinis ea consecret. Qua ex causa et in ea parte Therapiae, in qua febres tractantur, falsae vigent notionones, quae ansam praebuerunt, in omnibus Nosologiae et Therapiae specialis Compendiis mendosam reperiendi febrium divisionem; quanquam plures medici clariori hanc rem illustrare luce studebant.

Quoad pro virium mearum modulo atque temporis spatio fieri poterit, hanc rem investigandam curabo, nec minus studebo hoc meo opusculo, febrium divisionem rationi reddere convenientiorem. Ne in opprobrium mihi vertatur, nec arrogans videar, quod rem elegi ad dissertationem meam inauguralem, quae et a praestantissimis artis medicae cultoribus, sine

ullo, usque ad nostrum tempus, eventu tractata est. Attamen persuasum mihi est, eos ita de via recta deflexisse, non ut facultas hujus rei logice tractandae iis deesset, sed potius causam in eo versari credo: quod alii fortasse putabant: omnino logicam febrium divisionem, practicam nullo modo reperiri posse; alii, quod definitione febris praepropora pronuntiata, sibi viam ipsi intercludebant, febrium divisionem, definitioni aptare studentes, alii denique, quia Scholae cujusdam leviter docentis cultores, non integro rem conspicebant iudicio.

A primo Pathologiae et Therapiae studii initio, ne in melioribus quidem Pyretologiae Systematibus probabilem ac satis idoneam febrium distribuendarum rationem inveni, quare capiditate tenebar ingrediendi viam adhuc intentatam, ubi meliori eventu hanc materiem pertractari posse sperabam. Quam viam utrum reperiverim, nec ne, ab iis iudicetur, qui de hac re iudicare valent. Falsa vero haec mea ratio tum non esse poterit, si, quod proprium est unius cujusque Systematis recte constituti, logica constructa, practica non caret utilitate.

Si quis mihi in opprobrium verteret audaciam, qua, experientia carens, in animum induxi, liberam de hac re sententiam, litteris mandare — haud magnum, ei responderem, ad tractandam hanc rem, exigi usum. Nondum quidem mihi contigit, ut febris intimam naturam explorarem,

sed tantum abest, ut putem experientiae inopia idem mihi non contigisse, ut potius haud ignorem, a peritissimis quoque, qui unquam fuerunt, medicis — eam nondum esse investigatam. At, dicit aliquis, quidnam obstat, quo minus perveniamus ad veram rei intelligentiam, respiciat praesentem scientiae nostrae statum, et meditando inveniet, intimam febris naturam, nullo adhuc pacto explorari posse. Quod quidem facile est explicatu. Consulas, si tibi ita videtur, lector benevole, opera medicorum et pristini et recentioris temporis, et facile videbis: ne ullum quidem eorum omnium, perfectam febris definitionem, dare potuisse. Omnes fere Scriptores in definiendo hoc morbo dissentiunt, quae quidem opinionum varietas jam satis mihi demonstrare videtur, omnes omnium has definitiones, minime esse aestimandas. — Sed his etiam neglectis, diversae a diversis auctoribus pronuntiatae sunt febris definitiones, quas si accuratius perscruteris, haud te latere puto, eos nil nisi peculiaris febris symptomata enumerare, quin etiam saepius fit, ut ita definiant, ut prorsus de quo morbo proprie agitur, febrem esse neges. Quid quaeris? nulla unquam definitio, intimam febris naturam re vera detexit, quas omnes si inquirere vellem, nec finem nec exitum meum inveniret opusculum; ne igitur dissertationis modum excedam, nonnullas tantummodo hic perlustrare mihi in animo est.

„Celeberr. Burserius *) exempli gratia, si febrē hoc modo definire studet:

„Febris totius corporis est morbus, plerasque
 „functiones laedens, modo acutus, modo len-
 „tus, modo assiduus, modo intermittens et
 „periodice recurrens, a rebus praeter naturam
 „excitatus, ut plurimum cum virium anima-
 „lium immunitione, pulsu celeri aut crebro,
 „calorisque naturalis mutatione conjunctus,
 „coctione aut critica excretionē solvendus,
 „quando primarius est, et in salutem fini-
 „tur.“

succinctis quidem verbis symptomata peculiaria, decursum et typum febris, ut solet, enumerat, intimam vero ejus naturam minime demonstrat, nec igitur definitionem febris dedit, nam ad definiendum morbum, non symptomata ejus enarranda, sed potius natura ipsa demonstranda.

Nec minus celeberrimus Selle **) in definienda febre, phaenomena modo enumerat, quae vulgo febrē comitantur, qui:

„Febris,“ inquit, „est morbus cum frigore,
 „aestu et pulsu naturali, nunc frequentiori,
 „nunc tardiori, vario gradu atque tempore,
 „stipatus.“

*) Burserius Institutiones medicae. Lipsiae 1798. I. §. 31.

**) Rudimenta Pyretologiae methodicae, auctore C. G. Selle. Berolini 1789.

E definitione celeberrimi P. Frank *), qui febris naturam affectionem esse putat:

„irritatae par inconsuetum stimulum reagentis-
 „que naturae, cum laesa abhinc functione
 „aliqua.“

febris ne cognosci quidem potest, nam haec ejusdem definitio eodem jure ad alios referenda est morbos, et fortasse majori etiam, quam ad febrē. Sed ut haec etiam praeteream, nonne febris saepius exoritur, si organismo stimuli consueti detrahuntur? De febribus commemorem, quae nimiam humorum detractionem sequuntur. Attamen auctor febrē „affectionem putat irritatae, per inconsuetum stimulum reagentisque naturae.“

Dom. Dickinson **), anglicanus, febris naturam in „debilitate“ ponit „Systematis nervosi,“ porro dicit: „Die causa proxima einer Krankheit,“ ist derjenige Zustand des Körpers, der durch die Wirkung der causarum remotarum verursacht wird. „Nun aber sind die entfernten Ursachen des Fiebers im Grunde sämmtlich schwächender (?) Natur, depri-

*) Epitome de curandis hominum morbis, auctore P. Frank. Mannheimii 1792. Tom. I.

**) Calel. Dickinson. Untersuchungen der Natur und Ursachen des Fiebers, nebst einigen Betrachtungen über das Daseyn der Fäulniß im lebenden Körper und über die passende Heilart des Fiebers; aus dem Englischen übersezt von Dr. Joh. Chr. Fäbner. Göttingen 1787. S. 17.

„mentia, folglich kann auch die nächſte Urſache keine „andere, als ebenfalls Schwäche ſeyn.“ Quis est, qui hanc opinionem non falſam et perversam intelligat? Quam quidem, refutatione vix dignam, omnino praetereamus.

Celeberrimus Sydenham *) febrem e natura igni cenſet, „ut purgetur ſanguis partibus alienis,“ ſicuti quemque morbum, „conamen“ putat „naturae, quo ejiciantur materiae morbiſicae in aegri Salutem.“ Etiaſi praeteream, eum ſententia illa naturam febris minime demonſtrare, tamen contra ipſam hanc ejus opinionem, quaedam monenda mihi videntur. Primum: pluribus in morbis, et praecipue in febribus, mixtio humorum aliena ab initio morbi non obſervatur, decurſu demum ſaepe provocatur, ſublatoque virium organicarum aequilibrio, perturbatiſque iis, proficiſcitur. Cum vero humores et alieni et vitioſi incipiente jam febre adeſſent, vel, quod haud raro accidit, cum febris ex iis nata ſit, tum etiam plerumque peſſimus eſſe ſolet exitus, quanquam clariffimus Sydenham naturae conamen ſubponit ſalubre, ad removendam vitioſam hanc humorum mixtionem. Tale vero naturae conomen minime ſubponi poſteſt. Omnem naturae activitatem certis ſubjectam videmus legibus, et ideo quaeque ejus reactio, neceſſitate

*) Thom. Sydenhami Praxis medica experimentalis. Genevae 1791. Tom. I.

producitur. Quod ſi ita ſe habet, ſalubre illud conamen naturae nullo pacto concedendum eſt. Legem neceſſitatis ſequitur natura, ſi allato reagit incitamento, ſed fortuito modo hac reactione vitioſae removentur materiae, nec rare ipſa haec reactio totum perturbat organiſmum et vires conſumit organicas.

Maximilianus Stoll *), vir ille celeberrimus, denique febrem ita definire ſtudet:

„Febris omnis calorem praeternaturalem, pulſuum a naturali conditione alterationem, atque aliam quamcunque functionem, vel etiam plures laeſas habet, vario id tamen tempore, gradu, ſucceſſione.“

Sed et haec verba — quis neget? — deſcriptionem tantummodo et illam quidem ſuccinctam febris ſymptomatum, minime vero prorsus deſectam febris naturam continent.

Recentioris temporis ſcriptores magis magisque ſentierunt, deſinitionem febris magnas exhibere difficultates, et ideo loco deſinitionis: „Expoſitionem“ febris ſic dictam — valde moderati — protulerunt, qua vero expoſitione locum deſinitionis omnino ſe ſuppleviſſe putaverunt, et, ut mihi videtur — verbum hoc modestum, imperfectae excuſationem eſſe rationis,

*) Aphoriſmi de cognoscendis et curandis hominum morbis, edidit Maximilianus Stoll. Vindobonae 1786.

optaverunt. Sic celeberr. Kreysig *), Reil **), A. G. Richter ***) , Conradi ****) et alii, expositionem nec definitionem febris dare studuerunt, sed et hac febris expositione naturam ejus non accuratius perlustrabant, quare etiam non amplius de iis commemorem.

Sed quae hucusque protuli, sufficiant. Opusculi scopum negligere, si plures adhuc febris definitiones proferrem. Quinam etiam ignotum restaret, veram febris naturam, nulla, usque ad nostrum tempus, definitione recte detectam esse? Nec autem pro hodierno scientiae nostrae perfectionis gradu, vera et intima febris natura explorari potest; definitio igitur animi manet desiderium.

Multo clarior, quam nostris temporibus fieri potest, divina organismi humani administratio nobis appareret, si febris recte definiri posset. Sed procul adhuc abest, ut omnia naturae organicae mysteria clariori hac luce nobis appareant! — Phaenomena quae febrem comitantur,

*) Handbuch der praktischen Krankheitslehre von Dr. Friedrich Ludwig Kreysig. Leipzig und Altenburg 1818. Bd. 2.

**) Reil. Fieberlehre. Halle 1820. Bd. I.

***) Dr. August Gottl. Richter's Specielle Therapie. Bd. 1.

****) Grundriß der Pathologie und Therapie, entworfen von Joh. Wilhelm Heinr. Conradi. Marburg 1817. 2ter Theil.

ea modo cognovimus, nec minus causas occasionales, quibus phaenomena illa febrilia provocantur, ut taceam, has etiam intelligentiae vim ac notionem fugere; quo modo vero organismum immutent, cujus hae mutationis sint generis, omnino nescimus, et mancā solummodo conclusionem ex summa phaenomenorum ducimus. Valde probanda mihi videntur verba viri doctissimi Reil *), quae in pyretologia sua, de hac re fecit:

„Wir finden in den Jahrbüchern der Medicin zahlreiche Hypothesen über die Natur der Fieber aufgezzeichnet, die nach und nach, so wie sie entstanden, auch wieder zu Grabe gegangen sind. Genies und Querköpfe sind an der Lösung dieses gordischen Knotens gescheitert. Diese Mannigfaltigkeit der Meinungen ist ein Beweis, daß die Natur des Gegenstandes noch nicht klar ist. Denn wenn die Wahrheit erst gefunden ist, so tritt Gewißheit bey jedem schlichten Menschenverstande an die Stelle der Hypothesen. — — — und daher sind alle Hypothesen, die die Natur des Fiebers erklären sollen, unfruchtbar, weil sie sich mit etwas für uns jetzt noch Unerklärbarem befassen.“

Attamen logica febrium divisio postulatur, et illa jure quidem postulatur, rationalis enim febrium curatio ea solummodo nititur. Quae quo modo, latente adhuc intima febris natura,

*) Reil. Loco citato §. 10. et §. 11.

constituenda sit, nunc quaestio est. — Primum credo: etiamsi statu rerum praesenti, intelligentia ad perscrutandam febris naturam non sufficiat nostra, ex phaenomenis tamen, quae febrem comitantur, notionem quandam generalem deducendam esse, quae et ad omnes convenit febres et in quaque reperiri potest. Nam neglectis his, logica febrium classificatio nullo ratione exhiberi possit, et empiriae obscurae permissi, rationali omnino careremus theoria. Quae vero febris notio generalis, ex phaenomenis symptomatibusque collecta, nil est, nisi: „*vita accelerata*“ (beschleunigter Lebensprozeß). Etiamsi enim accelerata vita in aliis quoque morbis occurrat, tamen in febribus praecipue animadvertitur, et peculiarem febris format indolem.

Haec vita accelerata, summa febris indoles, semper reperiri potest, sit etiam febris cujuslibet ordinis, et sublato virium organicarum, systematumque aequilibrio nititur, quanquam proxima hujus sublatis aequilibrum causa, nondum est perspecta. Liceat mihi ad confirmandam hanc meam opinionem, verba proferre viri excellentissimi Reil *), quae hoc modo de accelerata in febribus movent vita:

„Die Beobachtung der Zufälle des Fiebers und das Zeugniß der besten Aerzte lehrt es uns, daß ein fieberndes Organ hastiger wirkt, wenn gleich die

*) l. c. pag. 43 et 44 S. 28.

„Reize dieselben geblieben sind. — Das Fieber besteht gleichsam in einem Aufruhr der Organe, sie wirken zu hastig, tumultuarisch, aber doch jedes Organ seiner Organisation gemäß. Die Muskeln spielen wider den Willen der Seele, im Gehirn jagt eine Vorstellung die andere, das Herz arbeitet geschwinder, der Magen strengt sich durch Erbrechen an und die wurmförmige Bewegung der Gedärme wälzt sich schneller fort. — — — Die hastigeren Aktionen werden wirklich: durch raschere thierisch-chemische Prozesse; durch diese kann endlich die gänze, der thierischen Materie eigenthümliche Mischung und die derselben adhärirende Kraft verloren gehen.“

Nec minus celeberrimus Hufeland *) de accelerata in febribus vita, mentionem fecit.

Tum: magni est momenti, quo ex systemate, accelerata illa originem ducat, vita; quod bene est distinguendum. Nam alium febris ducet characterem, si vita accelerata in systemate Reproductionis incipit, alium, si ex affectione primaria systematis Sensibilitatis, vel systematis Irritabilitatis, originem ducit. Sicuti enim quodque Systema in statu physiologico, propriam sequitur activitatis rationem, sic etiam morbosa activitas, aliam in quoque Systemate assumet characterem. Ideo in distribuendis febribus,

*) Hufeland. System der praktischen Heilkunde. Jena 1818. Bd. II. S. 11.

systemata tria organismi humani, Sensibilitas, Irritabilitas, Reproductivitas, respicienda nobis sunt, quia character febris destinatur, prout ex hoc vel ex illo incipiat systemate. Qua quidem ratione etiam mea febrium distinctio nititur; sicuti mox demonstrandum est.

Sed antequam methodum ipsam proferam, liceat mihi, theorias majorum auctorum, quod ad febres distribuendas attinet, usitatissimas, per-
lustrare.

Sectio prima.

§. I.

Variae in distribuendis febribus vigent rationes, et alius scriptorum, aliud respexit discrimen. Sunt, qui febres distribuentes in primis typi habeant rationem, alii contra, qui causas febrium majoris censeant momenti; alii inveniuntur, qui adventitiis tantum phaenomenis ducti sint, et pauci solum, qui e differentiis essentialibus discrimina sumere studuerint. Sed vix memoratu dignum censeo, practicam divisionem febrium, simulque logicam, discriminibus modo essentialibus niti posse, sicuti contra, phaenomena fortuita, quae vel nullam vel parvam tantummodo in curam agunt vim, nullo jure divisionem febrium stabilem construere valent. Ponamus Typum exempli gratia esse quemlibet, curationem febris parum mutabit, et una eademque Febris nonne tam typum continentem quam remittentem atque intermittentem obtinere potest? Ex quo aperte sequitur, divisionem febrium, quae typum respiciat, ambages tantum supervacaneas proferre. Et quod in typum valet, idem in quamque differentiam fortuitam valeat, necesse est. Febrium divisiones ergo, in: febres continuas, remittentes et intermittentes, porro in febres epidemicas, endemicas et sporadicas, in febres annuas, stationarias et intercurrentes etc. etc. optime quidem in generali Therapiae parte comme-

morari possunt, nam et haec febrium discrimina observentur, oportet — in speciali vero Pyretologiae tractatu omni carent fere auctoritate, quia differentias solummodo adventitias complectuntur, quae, sicuti jam supra dixi, curationis methodum vel parum immutant, vel nullam in curam agunt vim.

Sed singulas, singulorum auctorum methodos explore, necesse est, et sic, quaecunque falsa mihi videantur, libere ante oculus legentium judicanda ponam, tentabo et perlustrabo.

§. 2.

Celeberrimus, Home *) hanc fecit febrium distinctionem:

- 1) Febris inflammatoria.
- 2) Febris nervosa, quam etiam a lento ejus progressu, lentam nuncupat.
- 3) Febris maligna, putrida, petechialis.
- 4) Febris intermittens.
- 5) Febris remittens.
- 6) Febris hectica. Marasmus.

Haec divisionis methodus et typum et differentias magis essentielles respicit, ideo ambigua et jam hac de causa improbanda. Si auctor e typo febres distinguere voluisset, quae vero distinctio non est practica; necesse etiam fuisset, febrem continuam enumerare, ergo post typum, tres

*) Principia medicinae auctore Francisco Home. Amstelodami 1766.

instituerè ordines, et in quoque ordine febrem inflammatoriam, nervosam etc. etc. species ordinum, enumerare; taceam, hac divisione, solummodo typum respicienti, ambages gigni supervacaneas. Sed omittam etiam haec, in aliud adhuc vitium, haec celeberrimi Home divisio, cadere mihi videtur. Febrém putridam, credo, sic dictam, minime in ordinibus febrium referri posse. Quidnam est febris putrida? attamen nil, nisi morbus valde complicatus! Sed morbus complicatus in classificatione quadam morborum, non jure proprium occupat ordinem. Composita vero est febris putrida sic dicta, e colluvie humorum putrida et febre aut nervosa aut hectica, interdum immo etiam febre inflammatoria. Colluvies humorum putrida, quis nescit? et sine adesse potest febre, sicuti in scorbuto, in morbo maculoso haemorrhagico Werlhofii et aliis; tum vero influxu causarum accidentalium cum febre quadam conjuncta apparere potest; ex quo jam satis elucet, statum putridum non characterem febris constituere, sed causam tantum esse, aut effectum febris prioris. Et ideo febris putrida sic dicta majori jure varietatibus febrium, tanquam compositio fortuita, adnumeratur, quam ut proprium inter ordines febrium obtineat locum.

§. 3.

Eadem fere quae contra febrium divisionem celeberrimi Home commemoravi, contra divi-

sionem celeberrimi Boerhaave *) monenda mihi videntur. Non enim est practice constructa, quia typum in primis respicit, nec minus logica caret constitutione. Dividit nempe celeberr. Boerhaave febres in:

I. *Febres Continuas et*

II. *Febres Intermittentes.*

Primo in ordine has complectitur species: 1) febrem continuam simplicem, quam, si spatium 24 horarum decursum absolvit, Ephemeram nuncupat seu febrem diariam, si vero per plures protrahitur dies, continua non putris vocatur; 2) febrem continuam putridam; 3) febrem ardentem, quo modo febris vocatur ab insigni ardore, quo affliguntur aegri hac febre decumbentes.

Secundo in ordine species enumerat: 1) febrem intermittentem Quotidianam; 2) febrem intermittentem Tertianam; 3) febrem intermittentem Quartanam etc. In primo ergo ordine species formare voluit auctor, post essentielles febrium differentias (quas vero non recte perlustravit), in secundo contra, Species construendo, declinationem respicit fortuitam typi febrium Intermittentium, quo logicum hujus rationis nititur vitium.

*) G. L. B. van Swieten Commentaria in Herrmanni Boerhaave Aphorismos etc. etc. Lugduni Batavorum 1759. Tom. II.

§. 4.

Eodem modo e typo distinguuntur febres a celeberrimo Cullen *). Duos probat febrium ordines:

I. *Febres Intermittentes.*

II. *Febres Continuas.*

Primi ordinis species appellat: 1) febrem intermittentem Quartanam; 2) febrem intermittentem Tertianam; 3) febrem intermittentem Quotidianam.

Secundi ordinis Species nuncupat: 1) Synocham, 2) Synochum, 3) Typhum.

Sed quis dubitet, quin Synocha quoque, vel Typhus, typo apparere possint intermittente? Non speciebus tamen primi ordinis adnumeravit auctor; qua ex causa divisio ejus vitiosa habenda est. Praeterea Synochus sic dictus non jure propriam efficit speciem; nam auctor ipse hanc, hujus morbi, fecit delineationem: „Febris e Synocha et Typho composita; initio Synocha, progressu et versus finem Typhus.“ Initium si ad Synocham, progressus vero et exitus si ad Typhum pertineant, quaeritur quid ipsi supersit Synocho? Qua lege morbus, e duobus compositione et ideo complicatus, propriam in classificatione morborum simplicium format speciem? quod minime intelligo. Ut res logice tractetur

*) Synopsis Nosologiae methodicae auctore Guilelmo Cullen. Amstelodami 1775.

Synochum quoque sic dictum in complicatis ponendum esse febribus puto, impurum characterem obtinentibus.

§. 5.

Magis logicam febrium divisionem celeberrimus constituit Sagar *), sed practica caret utilitate, quia ordines febrium e typo soluin modo distinxit.

I. *Ordo Primus. Febres continuas.*

- 1) Ephemera. Decursus 4 dierum ad summum.
- 2) Hebdomadaria. Decursus 7 dierum.
- 3) Decatessera. Decursus intra 14 vel 21 dies.
- 4) Typhus. Decursus ultra 21 dies.
- 5) Febris hectica. Decursus ultra mensem.

II. *Ordo Secundus. Febres remittentes.*

- 1) Amphimerina. Remissio Quotidianae typum servans.
- 2) Tritaeophya. Remissionis typus Tertianae.
- 3) Tetartophya. Remissio Quartanae typum habet.

III. *Ordo Tertius. Febres intermittentes.*

- 1) Quotidiana.
- 2) Tertiana.
- 3) Quartana.
- 4) Erratica. Incerti sunt accessus.

*) Systema Morborum auctore Joanne Baptista Sagar. Vienna 1771.

§. 6.

Celeberrimus Boissier de Sauvages *) eandem fecit febrium divisionem, eo tantum discrimine, ut febrem Hebdomadariam celeberrimi Sagar, Synocham, et Decatesseram Synochum nuncupet; decursum vero eodem tempore peragunt. Quae ergo divisio eodem modo practica eget utilitate, cum typum tantummodo respiciat. Ultraque igitur divisionum jam hac ex causa improbanda est, logicum omittens vitium in quo versantur. Unum modo asseram exemplum. Typhus a Dom. Sagar nec non a Dom. Boissier de Sauvages, speciebus modo primi ordinis adnueratus, attamen, cuiusmodi ignotum est, — typum remittentem et intermittentem non aliter ac continuum, occupat, quem auctores in specierum secundi et tertii ordinis numero, nec habent nec referunt. Praeterea febrem hecticam melius inter febres remittentes locum obtinere censeo, quam inter febres continuas.

§. 7.

Celeberrimus Selle **) quatuor assumit febrium ordines. Ordo primus

I. *Febres continentes complectitur*, et species hujus ordinis 1) febrem inflammatoriam et 2) febrem putridam enumerat. Ordinis secundi, qui

*) Boissier de Sauvages. Nosologia methodica. Lips. 1791.

**) Rudimenta Pyretologiae methodicae auctore C. G. Selle. Berolini 1789.

II. *Febres remittentes complectitur*, species sunt: 1) febres biliosae, 2) febres pituitosae, 3) febres verminosae, 4) febris puerperarum, 5) febres phthisicae et hecticae. Ordo tertius, complectens

III. *Febres atactas* (nec continentes, neque regulariter remittentes) tres continet Species 1) febrem nervosam acutam sporadicam, 2) febrem nervosam acutam contagiosam, 3) febrem nervosam lentam.

IV. *Febres intermittentes* quartum formant ordinem. Hujus ordinis species sunt: 1) febris intermittens inflammatoria; 2) febris intermittens inflammatoria biliosa; 3) febris intermittens biliosa putrida; 4) febris intermittens pituitosa; 5) febris intermittens verminosa; 6) febris intermittens nervosa.

Primum divisio haec ea de causa vitiosa est, quia ordines febrium e typo distinguuntur, typus vero, sicuti jam saepius dixi, differentia non magni discriminis, parvam modo in febrium causam exercet vim, et minime dignus, qui divisioni febrium sit fundamentum. Deinde vero auctor hac sua divisione optime demonstrat, quam superfluis ambagibus distinctio febrium e typo, excellat. Sic febris inflammatoria et putrida, primi ordinis species, denuo inter species enumerantur ordinis quarti, sic etiam febris biliosa, febris verminosa et febris pituitosa, secundi ordinis species, in quarto reperiuntur — et ita febris nervosa se habet. Quod ceterum ad febrem ner-

vosam attinet, non jure dividitur in febrem nervosam acutam sporadicam, et febr. nervosam acutam contagiosam. Quae distinctio fortuita modo nititur differentia. Excitetur febris nervosa aut contagio aut aliis causis, quid interest? causa febris non naturam ejus mutat.

Febrem putridam, morbum compositum, non jure proprium in classificatione obtinere locum, jam supra memoravi. Sed minori adhuc jure febris biliosa, febris verminosa et febris pituitosa speciebus cujusdam ordinis adnumerantur. Febris exempli gratia biliosa sic dicta, tamen nihil est, nisi febris, quae aut laesae functione organorum bilem secernentium excitatur, aut fortuito laesa hac functione consociata apparet. Sed anomala bilis secretio characterem febris designare non valet, et febris tam nervosum quam inflammatorium et alium habere potest characterem; et quod in febrem biliosam valet, idem ad febrem pituitosam et verminosam referendum est. — Quo jure auctor differentias tam incertis et adventitiis, species febrium nec non ordines earum distinxit? — Minime intelligo! —

§. 8.

Pessima ordinandi methodus illa mihi videtur, quae modo causas respicit, quibus febres provocantur. Sic celeberrimus Ploucquet *) ordines

*) System der Nosologie im Umrisse von Dr. Wilhelm Gottfried Ploucquet. Tübingen 1797.

februm causis earum remotis distinxit. Enumerat: I. Febres psychicas, quae ex affecto originem ducant animo; quarum species: febrem orgicam, febrem lypicam, febrem nostalgicam, febrem phobicam, febrem phantasticam etc. vocat. II. Febrem agrypnicam e deficiente somno. III. Febrem asthenicam. IV. Febrem nervosam (cujus species iterum causis tantum remotis distinguuntur). V. Febrem perialgicam. VI. Febres dyepathicas, e diversis et internis et externis stimulis obnoxiiis. VII. Febrem anileticam, evolutionibus corporis provocatam. VIII. Febrem dysodonticam. IX. Febrem psychicam, e refrigeratione. X. Febrem epischeticam, e retentis excretionibus. XI. Febres haematicas. XII. Febres phlegmasiticas. XIII. Febres phlegmaticas e nimia pituitae productione. XIV. Febrem biliosam. XV. Febrem putridam. XVI. Febrem galacticam. XVII. Febrem pyicam. XVIII. Febrem arthriticam. XIX. Febrem helminthicam. XX. Febrem zoicam. XXI. Febrem toxicam. XXII. Febres miasmaticas, quarum species exonthemata varia, et denique. XXIII. Febres gastricas.

Viginti tres (!) enumeravit auctor ordines februm, nec ex ulla earum, exceptis febre nervosa et febre asthenica, character febris intelligi potest, quia nomen modo causas complectitur remotas! liceat mihi loco refutationis, verba adferre quaedam celeberrimi Reil *), qui:

*) I. c. Bd. I. §. 146.

„nach den entfernten Ursachen, dicit; können wir die Fieber nicht ordnen, eben so wenig als der Botaniker die Pflanzen nach dem Dünger, der Luft und dem Wasser ordnen kann, aus welchem sie entstanden sind. — Fieber von Galle, Wärmern, unterdrückter Ausdünstung, sind falsche Bestimmungen, wenn wir durch sie Gattungen und Arten, also mehr als das Verhältniß des Fiebers zu seiner entfernten Ursache anzeigen wollen. Es ist eine der ersten Regeln bei der Ausmittelung eines Eintheilungsgrundes der Gegenstände, die Merkmale der Theilung von den Gegenständen selbst, und nicht von ihren zufälligen Verschiedenheiten herzunehmen.“

Una eademque causa, nonne hunc et alium organismum vario afficit gradu varioque modo? Febris exempli gratia perialgica Domini Plouquet, nimio provocata dolore, in variis individuis, varium quoque tenebit characterem, quod etiam curationem omnino mutat.

§. 9.

Classificatio februm celeberrimi Pinel *), quanquam valde logicam eam reddere studuit, vitii tamen non caret. Sex assumit februm ordines:

I. Febres angiotenicas, fièvres angioteniques (blutgefäßspannende Fieber), irritatione vasorum sanguiferum provocatas.

*) Philosophische Nosographie von Philippe Pinel; aus dem Französischen übersezt von Dr. A. Esler. Tübingen 1799.

II. Febres meningogastricas, fièvres meningogastriques (Magen- und Gedärnhäute-Fieber), quae irritatione nitantur tunicarum tractus intestinalium.

III. Febres adenomeningeas, fièvres adénomeningées (Schleimhäute-Fieber), affectione tunicarum mucosarum ortas.

IV. Febres adynamicas, fièvres adynamiques (Fieber mit Schwäche der Muskelfaser), ubi fibra muscularis praecipue debilitate correpta apparet.

V. Febres atacticas, fièvres ataxiques (Fieber mit Nervenunordnungen), affecto principio nervorum.

VI. Febres adenonervosas, Pestem, fièvres adenonerveuses (Nervenbrühen-Fieber, Pest), ubi materies contagiosa, perniciosaque, et nervos corripuit et glandulas.

Celeberrimus Pinel febres non essentialibus, sed plerumque fortuitis modo distinxit discriminibus, qua ex causa methodus ejus haud probanda est. Affectio topica organi cujusdam, characterem febris constituere non valet, et sic auctor, si exempli gratia febrem secundi ordinis meningogastricam appellat, characterem ejus adhuc non designavit, nam perversae organorum abdominalium secretiones in quaque apparere possunt febre, aut causa aut effectus ejus, itaque febres gastricas inter ordines vel species febrium numerare omnino non possumus. Praeterea etiam Pestis non proprium constituere potest ordinem, sed potius febribus quinti ordinis adnumeranda,

nam etiamsi contagio oriatur et affectionibus diversis topicis conjuncta appareat, tamen nil nisi febris est nervosa, quia Systema Sensibilitatis primarium et praecipuum apparet affectum.

§. 10.

Restant plures adhuc scriptores, iique maximi, quae typo praecipuam dividendi rationem sumserunt, exempli gratia celeberrimus Burserius *), celeberrimus J. P. Frank **) cujus methodus, quanquam typum praecipue respiciens, attamen logicae particeps constructionis etc. etc., sed ne longus sum, methodos eorum non amplius perscruter, quia idem de iis valet, quod jam saepius commemoravi: typum nimirum differentiam solummodo accidentalem, nullo modo practicam praebere posse divisionem, quo vero via, si logice tractatur res, ambages creantur superfluae.

Liceat ergo ad alios transire scriptores, qui discriminibus magis essentialibus febres distinguere studuerunt, et meliori rem tractaverunt eventu.

§. 11.

Dr. Samuel Gottlieb Vogel ***), vir ille praecclarus, hac ratione febres distinxit:

*) Burserius Institutiones medicae. Lipsiae 1798. Tom I. pag. 122.

**) De curandis hominum morbis auctore J. P. Frank. Mannheimii 1792. Tom. I. pag. 40.

***) Dr. Samuel Gottlieb Vogel. Handbuch der praktischen Arzneywissenschaft. Stendal 1789. Bd. I. S. 24.

1) Wechselfieber, 2) inflammatorische Fieber, 3) Gallenfieber, 4) Faulfieber, 5) Schleimfieber, 6) Nervenfieber, 7) hektische oder auszehrende Fieber.

Primum: improbandum est, auctorem febrem intermittentem (Wechselfieber) inter ordines enumerare febrium. Quaeque febris intermittens nuncupatur, si typum observat intermittentem, sed ut etiam character febris cognoscatur, aliud adhuc respiciendum, quia typus fortuita tantummodo est differentia. Omnes vero febres, quas auctor in caeteris enumerat ordinibus, si, quod facile accidit, typum obtinent intermittentem, species primi ordinis judicari deberent, unici restantis. Cur et quo jure auctor, in distribuendis febribus, primum ordinem e typo format, quum tamen apud alios ordines typum non respiciat?

In Tertio ordine febres biliosas, in quarto febres putridas, et in quinto febres pituitosas nuncupat auctor. Si febris quaedam appellatur aut biliosa aut putrida, aut pituitosa, his nominibus tamen nil designatur, nisi causae febris, vel complicationes aut compositiones quaedam fortuitae. Sed causae febris sicuti compositiones fortuitae, minime aptae sunt, ad sufficiens praebendum distinctionis fundamentum. Perversa bilis secretio exempli gratia, saepius febrem excitat, vel etiam fortuito cum febre quadam conjuncta apparet, quod vero non sufficit, ut febris appelletur biliosa, nam respiciendus est charac-

ter, quem ducat febris, et sic mox inflammatoria, mox nervosa, mox denique hectica appellanda.

§. 12.

Celeberrimus Marcus *), ad rectam viam propius accedit, qui tria organismi humani systemata, Irritabilitatem, Sensibilitatem et Reproductionem, respicit, et febres dividit, prout ex hoc vel illo corporis systemate originem ducant. Ita tres febrium ordines constituit:

I. Synocham, II. Synochum et III. Typhum.

Autor enim Synocham deducit e systemate arterioso, quod ad Irritabilitatem, Synochum e systemate venoso, quod ad Reproductionem, et Typhum e systemate nervoso, quod ad Sensibilitatem convenire putat.

Sed Systema venosum minime ad Reproductionem convenit, sed transitum tantum — ne perperam dicam — e systemate Reproductionis in systema Irritabilitatis praebet, et ideo (liceat hujus verbi usus), punctum constituit indifferentiae (Indifferenzpunkt), quo ambo congruunt systemata, ut, tanquam medium amborum, nec ad Reproductionem nec ad Irritabilitatem referri possit. Quod in parenthesi. In secundo ordine auctor febres gastricas complectitur, quas e pa-

*) Entwurf einer speziellen Therapie von F. A. Marcus. Nürnberg 1807. Bd. I.

thematē Reproductionis originem ducere censet, id, quod minime ei adsentior.

Turbationes organorum assimilationis, quae in febribus gastricis sic dictis animadvertuntur, causa quidem occasionalis febris cujusdam esse possunt, nullo vero modo per se characterem febris construere valent. Id, quod jam ex eo elucet, quod non semper febris eas comitatur, saepius sine febre occurrunt, et ideo non essentialiter, sed modo fortuito cum febre comitanti coeunt. Quo vero jure celeberr. Marcus originem febrium gastricarum, falso sic dictarum, e systemate reproductionis deducit? Heluo, exempl. grat. si voraci impulsus cupidine, ventriculum cibus obruit, et peractis his, systema vasorum ad febriles stimulat reactiones, an liceat, febris originem e reproductione deducere? nonne hae organorum assimilationis perturbationes causa tantummodo sunt febris? nonne febre ex ipso systemate arterioso, quod allato reagit incitamento, deduci necesse est? quid? nonne plerumque characterem Synochae prae se feret, et ideo primo adnumeranda erit ordini? — Et praecipue si status gastricus decursu demum febris cujusdam oritur (febres venosae gastricae vocantur), quo jure hoc in casu, origo febris e reproductione deducitur? Febris jam antea praesens, quo fuit characteres status gastricus tamen effectus modo fortuitus morbosae fuit activitatis, nec fons essentialis febris praesentis! —

Optime quidem auctor, febres distinguens, ad systemata organismi animum intendit, sed valde erravit, si febres, ad systema Reproductionis convenientes, gastricas nuncupat. Si vero febre hecticam hocce in ordine enumerasset, omnino ei consentirem.

§. 13.

Celeberrimus Harlefs *) in distinguendis febribus, eundem committit errorem in quem Marcus ille celeberr. inciderat. Tres admittit ordines: 1) Synocham; 2) Synochum; 3) Typhum, et in secundo ordine febres gastricas enumerat, nec non febre putridam. De febribus gastricis jam supra sermo fuit. Febris ita appellari debet, ut character ejus e nomine declaretur, si vero febris quaedam gastrica vocatur, nomen tantum aut causas aut complicationes designat, id quod vitiosum habendum est. Nec autem febris putrida proprium in classificatione febrium obtinere potest locum, nam modo nervosus, modo inflammatorius, modo hecticis adnumeranda est febribus, quod quidem infra vel pluribus demonstrare conabor.

§. 14.

Kreysig**), vir ille praeclarus, omnem febre primarie e systemate vasorum proficisci censet,

*) Neues praktisches System der speziellen Nosologie von Dr. Chr. Fr. Harlefs. Koblenz 1824. Bd. II. 1ste Hälfte.

**) Kreysig Handbuch der praktischen Krankheitslehre. Leipzig und Altenburg 1819. Bd. II.

et ideo tantum febres vasorum probat, quas intra dividit genera *):

„Nach dieser Ansicht zerfallen die Fieber in drey
„Hauptgattungen:

- a) „in das entzündliche;
- b) „in das adynamische oder typhöse Gefäßfieber
„(worunter man aber keinesweges das ge-
„wöhnlich sogenannte Nervenfieber verstehen
„darf, sondern ein solches, wo ohne tiefe Krän-
„kung des Lebens des Nervensystems die Ener-
„gie der Blutgefäße sehr vermindert ist, z. B.
„bei dem einfachen Fieber aus Blutverlust);
- c) „in das reine Urfeber, wie ich es nennen
„möchte, was nur den Geschlechtscharakter der
„Fieber, vorschlagende Reizempfänglichkeit, an
„sich trägt, wobey die Energie der Kräfte des
„Gefäßsystems ganz die normale ist.“

De febre Nervosa ita judicat **):

„es ist dasselbe kein ursprüngliches Fieber, sondern
„man nennt diejenigen Fieber so, wo das Leben des
„Nervensystems, während und bey einem Fieber,
„in seinem Innern mit erschüttert wird.“

Quod vero arbitrium, valde audaciter pronun-
ciatum, nullam prae se fert verisimilitudinem.
Negare quidem non possumus, prima febris
symptomata — habeat etiam febris characterem
quemlibet — in systemate Irritabilitatis observari,

*) l. c. Bd. II. pag. 332.

**) l. c. Bd. II. pag. 323.

quod vero minime demonstrat: omnes febres ex hoc originem ducere systemate. Rem ita se habere credo: ope systematis Irritabilitatis, illa organismi activitas exprimitur, qua in res extra se positas (Außenwelt) tendit; qua vero ex causa — quia in externum agit — facilius etiam a nobis percipitur. Systemata vero Sensibilitatis et Reproductionis magis nos latent, et observationem nostram facilius effugiunt, quia ductores quasi sunt, quibus res extra positae in organismum agunt, activitas ergo eorum etiam magis in ipsum tendit organismum. Qua ex causa etiam morbosa quaedam activitas organismi, prius, majorique extensitate in systemate observabitur Irritabilitatis, quam in systemate Reproductionis aut Sensibilitatis. Cui vero ex his praeproperam ducere liceat conclusionem, omnes febres ex affectione primaria systematis Irritabilitatis gigni? — Febris nervosa saepius e neglecta existit Synocha (qua in re lubenter concedo) et ideo — in hoc quidem casu — secundarius est morbus; attamen vero celeberr. Kreysig nullo jure primariam negat febrem nervosam! Experientia optime cum refutat.

§. 15.

Celeberrimus et praeclarissimus Reil *), in tres ordines dividit febres:

*) Reil. Erkenntniß und Kur der Fieber. Halle 1820. Bd. I.

I. Synocha. Ubi aucta apparet receptivitas, intégrâ vero vis reactionis, vel etiam hæc aucta.

II. Typhus. Vis reactionis diminuta est, aucta receptivitate.

III. Febris paralytica. Vis reactionis ad minimum diminuta, et receptivitas fere omnino extincta. Sed febris paralytica celeberr. Reil, proprium formare non potest ordinem, quia genus illarum est febrium, quae ex affecto systemate Sensibilitatis originem ducunt. Melius ergo fuerat, si Typhum erethicum et Typhum paralyticum, genera nuncupasset secundi ordinis. Tum adhuc tertius restaret ordo, nempe febris hectica, quae ex labefacta oritur Reproductione, quae vero frustra desideratur. Sic etiam hanc celeberrimi Reil febrium divisionem probare non possum, quanquam sagax aitoris ingenium, maxima me implet observantia.

§. 16.

Dom. Sachs *), tres constituens febrium ordines:

1) Synocham, 2) Febrem nervosam et 3) Febrem putridam enumerat. De febribus gastricis et aliis febribus compositis ita iudicat:

„Mehrere von andern Nosologen als Ordnungen
„aufgestellte Fieber sind dies nicht. So kann

„das gastrische Fieber nicht als Ordnung bestehen,
„weil der status gastricus sich entweder erst im Ver-
„laufe desselben entwickelt, oder entferntes ätiolo-
„gisches Moment, nicht aber das Wesen desselben
„ist. Aus denselben Gründen kann auch das Gal-
„tenfieber nicht als besondere Ordnung gelten, das
„rheumatische und katharralische Fieber sind Ent-
„zündungen, jenes der serösen, dieses der Schleim-
„häute u. u.“

Sed tali modo et de febre putrida iudicari necesse est, quae nullo pacto ordinem quendam febrium formare potest. De febre hectica vero, quae tamen melius quam febris putrida, tertium formarat ordinem, nullo mentionem fecit verbo. — Longus est, plures etiam febrium divisionis methodos proferre, quia omnes, quae adhuc supersint, non valde a praecipuis, hucusque prolatis decedunt. Liceat ergo transire ad propriam febrium divisionis rationem, et quod optimum, apertissimumque veritati mihi videatur — proferre!

*) Grundlinien zu einem natürlichen dynamischen System der praktischen Medizin von Dr. L. W. Sachs. Berlin 1821, Bd. I.

Sectio secunda.

§. 17.

Introitu hujusce sectionis, quaestionem illam: „an necessaria sit systematica februm classificatio, et utilis scientiae?“ aptum occupare locum credo. Medicus ille quidem empiricus (Routinier), qui — vera carens disciplina — pecuniam fortasse summam censet artis finem, et morbos sine ratione, „ex usu“ curat, systematica quoque carere potest februm divisione, et valde superfluum eam putabit. Medicus vero rationalis, magni artis nostrae pretii conscius, omnes scientiae medicae doctrinas logice tractatas desiderabit, et sic etiam logicam februm divisionem, necessariam intelliget. — Quaeque vero classificatio morborum, quanquam logice constructa, nullo modo practica carere potest utilitate, nam haec si deest, omne etiam systema improbandum est et inutile. Attamen hoc minime timendum, nam quod logice constructum est, id etiam practicae particeps sit utilitatis, necesse est. Ubi vero logicum deest systema, notionum confusio evitari non potest, errores in artem irrepunt, veritatemque obscurant, immo scientia nostra divina, opificio aequalis tractatur.

Optime celeberrimus Reil *) dicit: „So schwierig die Anfertigung eines Systems in der Fieberlehre auch seyn mag, so nothwendig ist es doch

*) l. c. Bd. I. pag. 264. §. 145.

„für die Ausbildung der Kunst, darauf, und auf die allmähliche Vervollkommnung desselben, bedacht zu seyn. — Ohne System kann keine allgemein verständliche Sprache unter den Aerzten eingeführt werden. Ruft ein Herold: „Gallenfieber“ aus, so ruft der ganze Troß „Gallenfieber“ nach; steht ein anderer Veteran in seiner Kunst auf, und verkündigt: „grassirende Schleimfieber, so ist auf einmal allen Aerzten die Decke Mosis von ihren Augen weggenommen, und sie sehen alle Schleimfieber! Wo sollen wir den Grund dieser Modesucht der Fieber suchen? in den Köpfen der Aerzte, oder in der Natur der Fieber?“ —

Cujusvis ergo officium esse censeo, operam impendere, ut, quantum valeat, scientiam nostram quam maxime systematicam reddat.

§. 18.

Supra jam monui, etiamsi vera febris natura adhuc intelligi non possit, tamen summam febris indolem, collectis omnibus phaenomenis, in accelerata constare vita. Sit febris cujuslibet generis, accelerata vita semper animadvertitur, et vires organicas consumere potest, nisi idoneis curetur medicamentis. Immo in morbis chronicis, si ad finem perveniunt vitae, agitationes febriles non desunt, et ubicunque vita accelerato ad mortem festinat gradu, etiam febris ultimum concludit actum. — Dubito fore, qui ad refutandam hanc meam opinionem, de apoplexia mentionem faciant, sit aut nervosa aut sanguinea.

Nam apoplexia non acceleratio vitae ad mortem haberi potest, sed potius cohibitio (Hemmung) est omnium vitae actionum, et ideo perfectissima febris oppositio (Gegenſatz).

§. 19.

Haec vero accelerata vita, ex quoque systemate organismi humani, originem ducere potest, sicuti experientia nos docet, et prout ex hoc, vel ex illo incipiat systemate, omnem febris characterem essentialiter mutabit, et eodem modo in casu quoque peculiari, peculiarem etiam postulet curam therapeuticam. Etiam si enim Dom. Kreysig *) persuasum habeat, quamque febrem morbum esse systematis vasorum; etiam si, inquam, Dom. Marcus **) valde audaciter contendat: „alle Fieber sind Krankheiten der Irritabilität,“ tamen experientia aliam nos ducit viam, et opinionem refutat, quae perversa modo nititur dijudicatione organismi humani, nec non mutationum ejus et physiologicarum et pathologicarum. Si febris morbus esset systematis tantummodo Irritabilitatis, et symptomata ejus, quoque in casu praecipue ex hoc prodire necesse esset systemate. Quod vero experientia minime confirmat. In febre nervosa primaria exempl. grat. praecipua febris symptomata ex systemate Sensibilitatis perspicue prodire videmus. Hoc systema

*) l. c.

**) l. c. B. I. pag. 70.

primarium et praecipue apparet affectum; quaeque Irritabilitatis actio ab eo modo dependere videtur, et statu Sensibilitatis modificatur. Sic etiam in febre hectica, quaeque Irritabilitatis actio effectus modo apparet labefactae Reproductionis et debilitatae organismi energiae! Quo ergo jure febris morbus modo Irritabilitatis nuncupatur? Si quidem Dom. Kreysig et alii, qui hanc colunt theoriam, pulsuum frequentiam summam censent febris indolem, opinionem eorum non amplius repugnem; quae vero opinio non sagacis argumentum esset ingenii!

Systemata ergo organismi in dividendis febribus respicienda sunt, quia febris peculiarem assumit characterem, prout ex hoc vel ex illo incipiat.

§. 20.

Tres vero — sicuti Physiologia nos docet — in organismo humano adsunt activitates, quibus peculiariter attributa sunt organa iis inservientia, et sic tria corporis nostri formantur systemata; 1) Systema Sensibilitatis, 2) Systema Irritabilitatis, 3) Systema Reproductionis. Quibus convenientes tres etiam assumo febrium ordines, sicuti mox accuratius exponam.

§. 21.

Systemate Sensibilitatis, quod summum obtinet locum, illa exprimitur activitas, qua organismus res extra se positas (die Außenwelt) percipit, et peractis his, cogitationes et notiones format

et ordinat. Activitas ejus ab externis ad vitam internam individui tendens — etiam difficilior observatione complectitur, et magna adhuc observatori offert mysteria.

§. 22.

Systema Irritabilitatis activitate sua in externa agit, et motus — summa ejus indoles! Qua ex causa facilius intelligitur, et fere ipsum observationi nostrae obviam venit.

§. 23.

Secessu quieto in intima organismi officina, systema agit reproductionis. Materies in organismum assumptas assimilant, et novum massae organicae perficit incrementum, nec non continuam corporis Metamorphosin (Stoffwechsel) sustentat.

§. 24.

Omnia corporis systemata in quaque simul afficiuntur febre, quantum unum eorum primum et praecipue apparet affectum, si nempe febris puro observatur caractere. Sensibilitas maximam in alia systemata exercet vim, itaque in febre nervosa, systemata Irritabilitatis et Reproductionis magna cum vi et celeritate simul afficiuntur. In Synocha systema Reproductionis magis quam Sensibilitas simul afficitur, quia Irritabilitas in Reproductionem majori dominatur auctoritate, quam in Sensibilitatem. In febre hectica Irritabilitas mox simul afficitur, et tali quidem modo, ut, debilitata energia (Bir-

fungsbereitgen) receptivitas (Reizbarkeit) augeatur vasorum, nam ipsa vis plastica, omnis energiae fons, hac febre succumbit. Systema vero Sensibilitatis, parum simul afficitur, quia parum etiam de Reproductione dependet.

§. 25.

S c h e m a.

I. Ordo primus.

Typhus, ex primaria prodit affectione systematis Sensibilitatis.

Genera hujus ordinis:

- 1) *Typhus erethicus*, aucta receptivitate.
- 2) *Typhus torpidus*, diminuta receptivitate.

II. Ordo secundus.

Synocha, ex primaria prodit affectione systematis Irritabilitatis.

Genera hujus ordinis:

- 1) *Febris inflammatoria*. *Synocha proprie sic dicta*. Energia aucta apparet.
- 2) *Febris adynamica*. Energia diminuta apparet.

III. Ordo tertius.

Febris hectica, ex primaria prodit affectione systematis Reproductionis.

Genera hujus ordinis:

- 1) *Febris hypertrophica*, alienata vis plastica ita aucta apparet, ut anomala procreentur producta (Afterprodukte) quibus reliqua consumitur fabrica organica.

2) *Febris depascens s. atrophica*, alienata vis plastica ita apparet diminuta ut fabrica organica, fundamento suo privata, omnino dilabatur.

§. 26.

Primi ordinis genera statu distinxi Receptivitatibus, statu Energiae secundi ordinis genera formavi, et in formandis generibus tertii ordinis, plasticam respexi vim organismi. Ne sint, qui ex opinata hac inconsequentia, occasionem sumerent reprehendendi, liceat mihi defensionem rationis illius proferre et de peculiari cujusvis systematis vita quaedam commemorare.

Rerum extra positarum perceptio, Proprium est Sensibilitatis, et ideo Sensibilitas ductor quasi recipiens haberi potest, quo res extra positae in organismum agunt (vide §. 21). Aegrotante hoc systemate, etiam recipiendi facultas (Receptivitas) alienata apparere debet. Genera ergo illius febris, quae ex primaria exoritur affectione Sensibilitatis, maximo etiam jure, statu distinguuntur Receptivitatibus.

Genera vero febris, ex primaria Irritabilitatis affectione originem ducentis, statu Energiae modo distingui possunt. Nam vita Irritabilitatis motu modo cernitur, et Energia summum ejus Proprium (vide §. 22). Peculiaris denique vitae reproductionis activitas, novum massae organicae perficiens incrementum, plastica significatur vi (vide §. 23). Genera ergo febris hecticae sta-

tu etiam modo hujus distingui debent activitatibus. —

§. 27.

Ordo primus illas complectitur febres, quae ab affectione primaria systematis Sensibilitatis originem ducunt. Quaecumque immediate in Sensibilitatem agunt, hunc febrium ordinem praecipue provocare valent. Affectus deprimentes cujuslibet generis, timor, aegritudo, terror, anima egestate depressa etc., porro lucubrationes, vigiliae, nimiae ad laborem contentiones, nimia Phantasiae excitatio, ideo onania, proprium denique in nervos tendens contagium et similia, Typhum provocant. Omnis nervorum activitas perversa apparet; res extra positae falsa percipiuntur ratione, quo facto etiam falsae formantur notiones, et deliria ideo provocantur. Morbosa vero Sensibilitas et in alia corporis systemata morbosam exercet vim. Reproductio normali carens nervorum influxu, alienatur; secretiones perversae, interdum omnino decumbentes, saepius etiam valde profusae, et sub finem morbi, pessima plerumque mixtione; assimilatio vitiosa apparet, itaque corpus emacrescit. — Irritabilitas duce suo soluta, ad celeres (hastig) impellitur reactiones, quae vero omni carent energia, ideo pulsus frequens, sed plerumque debilis; musculorum motus celer, sine vero energia. Haec omnia de eo praecipue valent genere, in quo aucta apparet receptivitas.

nervorum, de Typho erethico. Typhus vero torpidus, qui raro attamen primarius observatur, et saepius ex typho demum prodit erethico, diminuta animadvertitur receptivitate nervorum. Deliria blanda, pulsus parum frequens, debilis; secretiones inertes, morbo magis propecto profusae redduntur, nec non vitiosae apparent mixtionis. In ultimo denique morbi stadio, festinante jam vita ad mortem, extinctoque fere omni nervorum influxu, status fere paralyticus exformatur, et omnis organismi fabrica, ex fundamento perturbata, colluvie tandem humorum resolvitur. — Ultimum hoc stadium, secundi febris nervosae generis, ad febrem paralyticam fortasse convenit Domini Reil.

§. 28.

Ordinem secundum illae formant febres, quae ex primaria systematis Irritabilitatis affectione, originem ducunt. Quaecunque immediate in Irritabilitatem agunt, et ad continuatas hoc systema stimulant reactiones, ea Synocham provocare valent. Primum hujus ordinis genus aucta apparet energia, in secundo vero energia diminuta est. Febris inflammatoria, primum genus, auctae ergo apparet energiae; in hac febre saepius topicae animadvertuntur inflammationes, sint vel causa, vel effectus febris. Si crisibus non resolvitur, et decursus protrahitur, systema Sensibilitatis non rariter tali modo simul afficitur, ut febris symptomatibus suis, magis magisque ad Typhum

accedat, impurumque obtineat characterem. Hunc febris inflammatoriae exitum, nonnulli auctores ad proprium evehunt ordinem, cui nomen vindicant: „Synochas.“ Impurus hujusce febris character, minime vero dignus, qui proprium formet ordinem, majori itaque jure inter complicatas ponitur febres. Febris adynamica, alterum genus, cum diminuta apparet energia. Quae causae energiam debilitant, eae hoc Synochae genus provocare valent, exempli grat. nimius motus, magnae corporis contentiones etc. etc. Systema vero Sensibilitatis integrum remanet, et nullo pacto hoc febrium genus Typho adnumerare licet.

§. 29.

In tertio ordine febris tractatur hectica, quae ex primaria systematis reproductionis prodit affectione. Nimiae humorum detractiones, nutrimenta vitiosa, victusque tenuis, vigiliae, nimium veneris officium et omnia quae plasticam turbant organismi vim, hanc febrem provocare solent. Nonnunquam etiam febres aliorum ordinum, crisibus aptis non resolutae, aliisque influentibus causis obnoxiiis, reproductionem tali modo simul afficiunt, ut hecticus exformetur status, quo vero in casu, character febris impurus cernitur. In primo febris hecticae genere, alienata vis plastica morbose apparet aucta, et luxuriantia gignit producta anomala (Asterprobnisse) exempli gratia: fungum medullarem, fungum articularum, carci-

nomata et similia etc., quae reliquum exhauriunt corpus. In secundo genere febris hecticae, vis plastica morbose apparet diminuta, ita ut normalem regenerationis actum ne perficere quidem valens, omnino frangatur, et in se quasi consumatur.

Omnis Reproductionis activitas contrariam in febre hectica assumit directionem. Vis plastica, in statu normali novum — ad conservationem organismi — peragens incrementum massae organicae, febre vero hectica in externum tendit; et, aut anomalorum productorum procreatione dilabatur, aut profusis exhauritur secretionibus. Quo magis amittuntur humores, quo majorem producta anomala assumunt ambitum, eo magis etiam vis organismi conturbatur. Corpus emarescit, vitae actiones debiles, sine energia; profusae colliquescunt secretiones. Animus incipiente morbo plerumque morosus, quo magis vero materies corporis consumitur, magna induitur hilaritate, donec corpus, denique consumitur, omnino relinquit! —

§. 30.

Tali quidem modo februm ordines et genera theoriâ distinguuntur. Sed in praxi febres non semper pura hac indole nobis occurrunt. Variæ existunt conditiones, quae decursum februm immutant, puram earum imaginem turbant et curationem modificant. De varietatibus ergo his februm etiam disserendum, quia practicam prae-

bent utilitatem, et quanquam non proprium inter ordines et genera februm occupare possunt locum, attamen non omnino sint praetermittendae.

Sequentes vero varietates praecipue memoratu dignae:

§. 31.

1) Varietates primi ordinis:

- a) Typhus catarrhalis,
- b) Typhus rheumaticus,
- c) Typhus gastricus,
- d) Typhus putridus,
- e) Typhus intermittens.

Typhus catarrhalis illa est Typhi varietas, ubi affectio quandam catarrhalis topica, cum Typho conjuncta apparet. Interdum affectio catarrhalis tunicam mucosam faucium et organorum corripit respirationis, interdum tunicam mucosam intestinorum, interdum ambae afficiuntur. Quae varietas saepissime occurrit.

Typhus vocatur rheumaticus si affectio topica tunicas serosas et fibrosas corripit, quae vero varietas rarius Typho catarrhali observatur. Quod ad Typhum atinet gastricum, haec varietas saepius occurrit. Plerumque vero, si status gastricus in Typho apparet, effectus est febris nec causa ejus. Perturbato normali nervorum influxu, organa assimilationis labefaciuntur, et cruditates gastricae exformantur, quae decursum febris modificant, et peculiarem curationis exigunt rationem.

Cruditatibus, porro, gastricis febris hectica saepius complicatur, quae fortasse complicatio colliquationem adjuvet.

Febrem hecticam putridam illum appellem statum, quo morbi e colluvie humorum putrida orti, cum febre congregantur hectica, quod saepius animadvertitur.

Quod attinet ad typum, febris hectica primo suo initio fere semper typum obtinet intermittentem, morbo vero magis provecto, typum vulgo occupat remittentem. Praeterea vero etiam febres intermittentes praecipue secundi ordinis, si per valde longum durant tempus, characterem assumunt febris hecticae, et hoc modo finem adferunt vitae! —

§. 34.

Restat ut adhuc mentionem faciam, quomodo singuli febrium ordines, per se invicem complicati sint. — Causae enim, quibus aut ordo, aut genus provocatur febrium, tantam in corpus humanum vim exerere possunt, ut, quoties unum officitur systema, et alterum affectionis vi tam vehementer prematur, ut febris inde orta, tum duplicem quodammodo quae se ferat characterem, quia duo systemata simul affecta apparent. Qua re saepe accidit, ut symptomata observentur obscura, et saepe sibi prorsus contradicentia, unde fit ut curatio majori subjecta sit difficultati, et plus animi contentionis, curae et patientiae a medico desideretur, poscatur.

§. 35.

Primi ordinis complicationes:

- 1) Typhus synochalis,
- 2) Typhus hecticus.

Si causae, quae simul vitae sensibili et irritabili officiant, in organismum vim exercent, tum habemus complicationem febris, a me., Typhus synochalis dictam. Si febris adynamica se cum typho conjungit, tum curationi minus obversantur difficultatum, quanquam haec complicatio vitae aegrotantium infaustum sit omen, — minus inquam, quamsi febris inflammatoria apparet cum typho conjuncta; quo in casu saepe accidere solet, ut curatio re vera perdifficilis evadat; remedia quae ab aegroto nervorum systematis statu requiruntur, — plus minusve e classe remediorum excitantium orta, — male conveniunt cum aucta irritabilitatis reactione. Nec magis methodi antiphlogisticae usus omnino commendari potest, quamvis inflammationes topicae, quae in aegroto hac febre decumbente saepissime occurrere solent ex. gr. Encephalitis, topicum antiphlogisticorum remediorum usum desiderent. Sic ergo per exiguus est remediorum numerus, quibus, ad morbum removendum, medico licitum est uti, ex quibus acida mineralia in primis digna sunt, quorum hoc loco fiat mentio. Ceterum decursus hujus febris plerumque rapidus est et perniciosus.

Saepius in Typho humores ad putridam pro- pensae animadvertuntur resolutionem, itaque pu- ram morbi immutant indolem. Varietas haec pessima, „Typhus putridus“ vocata, plerumque morte finitur.

Magni porro ad curam est discriminis quem Typhus obtineat typum. Nam si intermittente apparet typo, tanta observatur malignitate, tam rapido cernitur decursu, nec non pernicioso, ut secundus plerumque paroxysmus, mortem jam adferat. Qua haec malignitas nitatur causa, necimus, et scire etiam non possumus, quia et illa causa, quae typi declinationem perficit — omnino nos latet.

§. 32.

2) *Eaedem varietates secundo etiam adnumerandae sunt ordini:*

- a) Synocha catarrhalis,
- b) Synocha rheumatica,
- c) Synocha gastrica,
- d) Synocha putrida,
- e) Synocha intermittens.

Synocha catarrhalis et rheumatica saepis- sime occurrunt, et illas formant febres, quae vulgo febres rheumaticae, febres catarrhales vocan- tur.

Synocha gastrica non rarius observatur, hic vero status gastricus causa plerumque est febris, sicuti è contrario in Typho plerumque effectus apparet febris.

Synocha putrida praecipue proprio provocatur contagio, quod tanta in systema vasorum agit vi, ut ad energicas hoc systema stimulet reactiones, quas mox putrida sequitur humorum colluvies.

Synocha intermittens, quae plerumque gastri- cis excitatur sordibus, vel iis cum complicata est, peculiarem quidem postulat curam, nec tam perniciosa apparet, quam Typhus intermittens, quanquam magnâ interdum observatur pertina- ciâ, quae non minus a typo solo dependere vi- detur. —

§. 33.

3) *Varietates denique febris hecticae non decedunt ab iis, quas jam in aliis cognovimus ordinibus.*

- a) Febris hectica catarrhalis,
- b) Febris hectica rheumatica,
- c) Febris hectica gastrica,
- d) Febris hectica putrida,
- e) Febris hectica intermittens.

Affectio catarrhalis, praecipue tunicae muco- sae pulmonum, saepissime cum febre hectica consociatur, et illum format morbum, qui, sta- dio praecipue magis provecto, Phthisis vocatur pituitosa.

Status rheumaticus non minus interdum cum febre hectica conjungitur, et ipse — data occa- sione — in Nosocomio nostro febrem observavi hecticam rheumaticam (vid. Observationes clinic. Dorpotens. I. Semestr. anni 1826. No. 13.) quan- quam rarius omnino occurrat.

Typhus hecticus originem suam talibus debet causis, quae simul Sensibilitatem ac Reproductionem male afficiunt. Decursus lentus, infirmitas magna, exitus plerumque pessimus. Roborandi et excitandi methodus hic toto, ut ita dicam, ambitu ejus usurpari potest.

§. 36.

Secundi ordinis complicationes:

- 1) Synocha typhodes,
- 2) Synocha hectica.

Synocha typhodes non idem significat, ac Typhus synochalis, dum hac in Synocha typhode affectio Irritabilitatis praevalet, in illo Sensibilitas magis afficitur. Qua complicatione decursus atque exitus Synochae turbantur et periculum augetur. Si febris inflammatoria tali complicatione affecta prodit, tum permulta sperare possumus de matura et in pavidè adhibita methodo antiphlogistica — quin etiam maxima evadit necessitas, felicitis cujusdam exitus.

Quod ad Synocham hecticam attinet, febrem adynamicam fere solam in hac complicatione apparere videmus, dum febris inflammatoria causis quidem iniquis inexplicatisque crisiibus, seriori morbi decursu in febrem hecticam degenerare potest, quacum autem non jam ab initio se conjungere solet.

§. 37.

Tertii ordinis complicationes:

- 1) Febris hectica typhodes,
- 2) Febris hectica synochalis.

Febris hectica typhodes tum emergit, quando causae, quibus febrem hecticam gigni necessarium est, et nervorum systemati ita damnum afferunt, ut tum etiam symptomata nervosa ad febrem hecticam accedant, quanquam systema Reproductionis semper se praebere solet maxime patiens. Qua complicatione febris hecticae decursus acceleratur, et malo plerumque eventu finitur, caeterum vero haec complicatio raro occurrit.

Saeppissime autem febris hectica synochalis deprehenditur atque observatur, eaque febris est inflammatoria, quae cum febre hectica se consociare amat. Lentae inflammationes topicae organorum tam pectoris quam abdominis, quae postea plerumque in suppurationem transeunt, causae praecipue sunt efficaces, quibus provocari solet. Decursus rapidus, extinctionis actus vividus, spes reconvalescendi, imminente jam morte, characteristica. Curatio multis subiecta est difficultatibus, quin etiam ab initio fere semper antiphlogistica esse debet. Haec febris hecticae complicatio Phthisis est florida (gallopierende *Schwindsucht*) auctorum.

T h e s e s.

- 1) Ulcus syphiliticum primarium remediis solum topicis sanari potest.
- 2) Morbus existere salutare contendo.
- 3) Haemorrhagiae morbi symptomata, nec morbus ipse.
- 4) Consilium quorundam obstetriciorum, solutionem placentae, sectione caesarea facta, naturae committendi, omnino rejiciendum censeo.
- 5) Signa extravasati non quoque in casu trepanationem indicant, sint etiam certissima.
- 6) Ulcus syphiliticum primarium remediis solum topicis sanare non licet.

Febres complicatae.

I. (I. Primi ordinis:

- Ty*
- 1) Typhus synochalis.
 - 2) Typhus hecticus.

II. II. Secundi ordinis:

- Syn*
- 1) Synocha typhodes.
 - 2) Synocha hectica.

III. III. Tertii ordinis:

- Febr*
- 1) Febris hectica typhodes.
 - 2) Febris hectica synochalis.

Febres.

Ordines februm.

Genera februm.

Varietates februm.

Febres complicatae.

I. Ordo primus:

Typhus ex primaria affectione systematis sensibilitatis originem ducens.

I. Primi ordinis:

- 1) Typhus erethicus.
- 2) Typhus torpidus.

I. Primi ordinis:

- 1) Typhus catarrhalis.
- 2) Typhus rheumaticus.
- 3) Typhus gastricus.
- 4) Typhus putridus.
- 5) Typhus intermittens.

I. Primi ordinis:

- 1) Typhus synochalis.
- 2) Typhus hecticus.

II. Ordo secundus:

Synocha ex primaria affectione systematis irritabilitatis originem ducens.

II. Secundi ordinis:

- 1) Febris inflammatoria.
- 2) Febris adynamica.

II. Secundi ordinis:

- 1) Synocha catarrhalis.
- 2) Synocha rheumatica.
- 3) Synocha gastrica.
- 4) Synocha putrida.
- 5) Synocha intermittens.

II. Secundi ordinis:

- 1) Synocha typhodes.
- 2) Synocha hectica.

III. Ordo tertius:

Febris hectica ex primaria affectione systematis reproductionis originem ducens.

III. Tertii ordinis:

- 1) Febris hypertrophica.
- 2) Febris depascens,
s. atrophica.

III. Tertii ordinis:

- 1) Febris hectica catarrhalis.
- 2) Febris hectica rheumatica.
- 3) Febris hectica gastrica.
- 4) Febris hectica putrida.
- 5) Febris hectica intermittens.

III. Tertii ordinis:

- 1) Febris hectica typhodes.
- 2) Febris hectica synochalis.